

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1878

**Auteur(s) :** Jourdain du Hommet, Lisieux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Lisieux (hôpital)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1218, juin

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jourdain Du Hommet, évêque de Lisieux, cède à la Maison-Dieu de Lisieux un âne, un ânier et des bois dans des forêts épiscopales de Lisieux, treize allocations pour treize pauvres.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Lexoviensis, n° V, col. 210-211.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Jordanus Dei gratia Lexoviensis episcopus, salutem in Domino. Quoniam pium est et honestum, pauperum necessitatibus subvenire, de bonis nobis a Deo collatis, concessimus domui pauperum Lexoviensi, ut ipsi habeant in nemoribus Lexoviensis episcopi, unum asinum, qui semper afferat ligna in usus pauperum convertenda, et asinarius eorum capiat boscum mortuum, et arbores quas siccas invenerit, et branchias arborum viventium, sed fagos et quercus adhuc virentes et stantes non erit ei licitum prostrare, nec modo aliquo laniare. Concessimus etiam ut ista domus et pauperes ibidem sub protectione Dei degentes, tredecim præbendulas quas tredecim pauperes præbendarii quibus assignabantur, habere solebant, de bonis Lexoviensis episcopi habeant et teneant ad suam sustentationem, in usus proprios convertendas; et ad majorem hujusce rei evidentiam, bona præbendarum prædictarum duximus exprimenda ; videlicet unaquaque hebdomada tredecim boissellos grossi bladi de granario episcopi, et tredecim denarios in præpositura ; et in Quadragesima tredecim bonos boissellos piscium, et tredecim summas lignorum, per asinos episcoporum eis adductos, et hoc bis in hieme. Debent etiam habere vinum, milliare bonorum halectorum, et tredecim paria sotularium in die Absolutionis, et unum arietem in die Ascensionis, et potum ad festum sancti Martini in hieme, et conredum vel quatuor denarios unicuique assignatos ad Natale Domini et ad Pascha, et in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli: debent etiam habere tredecim tunicas in feria Prati Lexoviensis, quamlibet tunicam trium ulnarum, et unius quarterii. Volentes igitur ut hoc totum dictæ domui et pauperibus, futuris temporibus firmiter asservetur, omnia supradicta, sicut in præsenti pagina sunt expressa, præsentis chartæ et sigilli nostri testimonio confirmamus, anno Domini 1218, mense Junio.